



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1680

Narratio vetus de morte Iuliani Cæsarini Cardinalis, auctore Ægidio Carlerij
Decano Cameracensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14718

à cunctis dilectus, prudentia & consilio magnus, in jure peritus, & religiosorum pater & refugium. Manus copiosè extendebat ad pauperes, sobrietate & sanctimonia præclarus, ex devotione non modica frequenter celebrans, studiosus, à lectione non cessans, in diversis partibus legationem eleganter exercens. Honorificè vita functus traditus est sepulturæ in conventu sanctæ Mariæ supra Minervam ordinis Prædicatorum.

Addere etiam placet veterem narrationem de morte Iuliani Casarini Cardinalis, cujus auditor olim fuerat Capranica, à me descriptam ex autographo Agidij Carlerii Decani Cameracensis, quod extat in bibliotheca collegii Navarrici Parisiensis.

Hic reverendissimus Dominus Cardinalis vocabatur Dominus Iulianus de Casarinis, qui tempore primi adventus Boemorum erat Cardinalis sancti Angeli, postmodum verò assumptus fuit ad titulum sanctæ Sabinæ. De hoc reverendissimo patre retulit mihi Agidio Carlerii Decano Ecclesiæ Cameracensis mense Februarii anno Domini 1447. more Gallicano unus ex familiaribus suis gloriosissimi sui martyrii triumphum. Cùm enim peccatis nostris exigentibus Teucris de Christianis reportassent victoriam, multis fidelibus interemptis, aliis terga vertentibus, hic reverendissimus pater capitur, coram Teucrorum seu Turcorum Imperatore sistitur. Adducuntur doctores suæ execrabilis legis, qui cum illo de fide certant, nitentes eum subvertere & ad impiam eorum sectam pertrahere. Quòd cùm nulla ratione hoc facere possent, nunc promissionibus, nunc comminatis suppliciis mentem sanctam satagunt à bono proposito revocare. Nam tyrannus, si ei consentiat, spondet eum facere summum suæ legis sacerdotem;

sin autem, diversa experiri tormenta. Cùm verò hic
 reverendissimus pater nullatenus acquiesceret, sed
 Dominum Iesum Christum & fidem eius constanter
 profiteretur, assunt tortores & medici. In media pla-
 tea urbis, præsentem tyranno, astantibus quodam ve-
 nerabili Episcopo & multis Christianis captivis, su-
 per scalam ponitur, à tortoribus excoriatur per cor-
 rigias aliquas pelle à carne separata, inter quas lan-
 ceantur quædam subulæ ferreæ. Cùmque isto marty-
 rio esset fatigatus, iterum rogatur ut ad suam sectam
 dimissa lege Christianorum, redeat. Quod si facere
 vult, promittunt medici præsentem curam vulneri-
 bus exhibere. Sed nec honorum suorum ambitio nec
 sanitatis beneficium propositum sanctum potuit vio-
 lare; sed in Christi fide perseverans, rursus torquetur
 ut priùs; & ad exitum properans, ad Episcopum præ-
 sentem conversus ait: En vides, pater venerabilis,
 ego ad Christum venio; tibi commendo hunc gre-
 gem meum, hunc scilicet populum Christianum,
 Fortis esto athleta Christi, & ipsum in fide confir-
 ma. Et sic triumphator migrat ad Dominum, cui &
 laus & gloria per immortalia secula. Hæc mihi re-
 tulit in Cameraco ille familiaris suus supra memo-
 ratus; qui, ut inquit, præsens tunc erat, & vidit
 eum vivum & mortuum. Subiunxit quòd corpus ty-
 rannus iussit comburi & cineres in capsâ argentea
 vel aurea in signum victoriæ quam de Christianis
 optinuerat reponi. Si hæc vera sunt, annon, nescio.

